UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Magnum Matrimonij Sacramentum Casibus Practicis Expositum

Reutlinger, Ignaz

Augustæ Vindelicorum, 1716

VD18 10508716

Casus Contrahentium in statu peccati mortalis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40059

Visual Library

QUÆSTIO SECUNDA.

Quantùm noceat Matrimonium contrahentibus indispositio ex parte animæ, sive status peccati?

CASUS

Contrahentium in statu peccati mortalis.

Adalbertus, & Euphronia, præmissis solitis denunciationibus, Matrimonium publicè contraxerunt in facie Ecclesiæ, sed dum hoc actum est, uterque extitit in peccato mortali.

Q. Quot peccata commiserint sic contrahendo?

SYNOPSIS.

1. *Matrimonium est verè, ac propriè dictum Sacramentum ex communi Ecclesiæ sensu.*
2. *Definitur id etiam à Concilio Tridentino.*

3. *Negant*

3. *Negant tamen aliqui, Sacramentum esse, quando contrahitur per Procuratorem.*
4. *Sed affirmativa Sententia tenenda est.*
5. *Rijciuntur argumenta opposita.*
6. *Quæsit materia, & forma Sacramenti Matrimonij?*
7. *Quis Minister?*
8. *Rejcitur opinio Melchioris Cani.*
9. *Peccant mortaliter conjuges in statu peccati mortalis contrahentes, quia indignè recipiunt Sacramentum; in procuratore tamen non requiritur status gratiæ.*
10. *An etiam peccent novo, ac speciali peccato, in quantum sunt ministri hujus Sacramenti, idq; indignè administrant, duplex est Sententia. Affirmant multi valde probabiliter.*
11. *Non minùs probabile est, sic contrahentes non duplex, sed unum peccatum committere.*
12. *Solvuntur fundamenta Adversæ Partis.*
13. *Qualis sufficiat intentio in conjugibus, in quantum & suscipiunt, & & conficiunt hoc Sacramentum?*

1. VT ordinatè progrediamur ad præsentis casûs decisionem, priùs examinandum est, an Matrimonium sit Sacramentum, & quis illius Minister? ita patebit, pluráne, an unum tantùm peccatum commiserint dicti conjuges?

Matrimonium Sacramentum esse cum plurimis antiquis, quos citat Bellarminus *L. 1. de Matr. c.* 1. negant etiam nostri temporis hæretici Lutherus, & Calvinus cum suis assec. lis, quorum frivolas rationes refellere ad Polemicos attinet. His ex Catholicis secundùm partem accedit Durandus in 4. dist. 26. q. 3. cum aliquot Canonistis, qui licèt dicat, hæresin manifestam esse, negare, quòd Matrimonium sit Sacramentum, affirmat tamen, esse solùm æquivocè Sacramentum in comparatione cum alijs sex, eò quòd gratiam non conferat suscipientibus, ut reliqua, atque ita non sit signum gratiæ suscipientes sanctificantis, quem-

quemadmodum definitur Sacramentum Ecclesiæ, sed esse Sacramentum, hoc est, symbolum alicujus rei sacræ, videlicet conjunctionis Christi cum Ecclesia, pro qua opinione fundamenta affert, quæ nullius roboris sunt, & fusè refutantur à Vasq. *disp. 2. de Matr. c. 9. & 10.*

Dicendum. Matrimonium contractum inter fideles, seu baptizatos est verè, ac propriè dictum Sacramentum novæ Legis à Christo institutum. Dico *inter fideles, seu baptizatos*, quamquam enim Matrimonium infidelium civilis quidam contractus sit, ijsdem licitus, cùm sit in officium, seu propagationem, & conservationem naturæ, & in remedium concupiscentiæ, nihilominus Sacramentum propriè dictum non est, quia cum baptismus sit janua, & necessaria dispositio ex institutione Divina ad reliqua Sacramenta suscipienda, nequit, qui baptizatus non est, Sacramentum Matrimonij suscipere, tametsi in Matrimonium copuletur. An verò Matrimonium inter baptizatum, & non baptizatam Sacramentum sit, item an Matrimonium infidelium, quando postea baptizantur, fiat verum Sacramentum, minùs ad praxin, & hunc locum pertinet, de quibus quæstionibus videri possunt Coninck *disp. 24. dub. 2.* Bonac. *q. 2. de Matr. pu. 2.* Palao, Laym.

Conclusionem nostram multi probant ex textu Divi Pauli ad Ephes. 5. ubi Apostolus, ut suadeat viris diligere uxores suas tanquam carnem propriam, adducit illa verba, quæ Adam Gen. 2. pronunciavit in Paradyso, dicens: *propter hoc relinquet homo patrem, & Matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*, subjungit: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico, in Christo, & Ecclesia*; quia autem textus iste varias interpretationes patitur, quòd Matrimonium verè ac propriè dictum Sacramentum sit, censeo cum Perez *disp. 19. de Matr. Sect. 1. n. 2.* efficaciùs probari ex communi consensu Universalis Ecclesiæ tam Græcæ, quàm Latinæ, quæ in Concilio Florentino sine contradictione definivit, Matrimonium esse verum Legis novæ Sacramentum; id enim definitum fuit ab Eugenio IV. in dicto Concilio, nam in Decreto fidei pro Græcis, & Armenis, quod est post ultimam Sessionem, inter Ecclesiæ Sacramenta, quæ dixit esse signa gratiæ, & illam continere, atque conferre, Matrimonium numeravit. Idem definivit Lucius III. in *c. Ad abolendam. De Hæreticis*, ubi præcipit, tanquam verè hæreticos puniri eos, qui de Sacramento corporis, & sanguinis Domini JESU Christi, vel de Baptismate, seu peccatorum confessione, *Matrimonio*, vel reliquis Ecclesiasticis Sacramentis aliter sentiunt, quàm Sacrosancta Romana Ecclesia, connumerans enim Marrimonium inter reliqua Sacramenta, planè

planè indicavit, hunc esse sensum Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac proinde eos, qui sentiunt, Matrimonium non esse Sacramentum, manifestè errare.

2. Hoc ipsum clarissimis verbis definivit Concilium Tridentinum contra Lutherum, & Calvinum, aliosque hæreticos Sess. 7. Can. 1. de Sacram. in genere: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non fuisse omnia à Christo Domino instituta, aut esse plura, vel pauciora, quàm septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse verè, & propriè Sacramentum, anathema sit.* Quòd autem conferat gratiam, iterum definitur ead. Sess. Can. 7. *Si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta semper, & omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi ea ritè suscipiant, sed aliquando, & aliquibus, anathema sit.* & can 8. *Si quis dixerit, per ipsa novæ Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem Divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit.* Denique Sess. 24. de Sacram. Matr. Can. 1. *Si quis dixerit, Matrimonium non esse verè, & propriè unum ex septem Legis Evangelicæ Sacramentis, à Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anathema sit.* Utrumque igitur de fide est, & firmiter tenendum, Matrimonium verè, & propriè Sacramentum esse, & conferre gratiam ex opere operato.

3. Etsi verò nunc manifestè pateat, Matrimonium baptizatorum verum, ac propriè dictum Sacramentum esse, dubitatur tamen etiamnum, an Matrimonium fidelium per nuntium, vel epistolam, aut procuratorem celebratum sit verum Sacramentum? Sunt enim, qui dicunt, quamvis per procuratorem, vel epistolam inter absentes celebrari possit verum Matrimonium, consistens in contractu naturali, & civili, negant tamen, ejusmodi Matrimonium esse Sacramentum: ita post Cajetanum docent Canus *L. 8. de locis Theologicis c. 5.* & quidem ita fortiter, ut asserat, non intelligere, qui dicunt Cajetanum errâsse, eosque arguat stultitiæ. Victoria *in Summa n. 244. de Matrim.* Durandus, alijque plures apud Sanch. *L. 2. de Matr. disp. 11. n. 26.* Hanc ipsam Sententiam, etsi non sequantur, probabilem judicant Rebellus, *De oblig. Iust p. 2. L. 2. q. 5. concluf. 2.* Petrus Ledesma *q. 42 de Matr. art. 1. difficult. 7. concluf. 1.* Potissimæ rationes sunt istæ. 1. Quia Pœnitentia requirit præsentiam ad absolvendum, cùm in ejus forma dicatur: *ego te absolvo*: at in Matrimonio quoque dicitur: *ego te accipio in conjugem*: ergo etiam Matrimonium requirit præsentiam contrahentium. 2. Quia effectio Sacramenti est actus personalis, ut in alijs Sacramentis:

patet : ergo Matrimonium celebratum per alterum non est propriè Sacramentum. 3. Quia aliàs dormiens posset recipere gratiam, si ipso dormiente, & existente in gratia fieret Matrimonium à suo Procuratore, quod esset Sacramentum.

4. Verùm communior Sententia, eaque verissima, affirmat, Matrimonium per procuratorem, nuntium, vel epistolam celebratum à baptizatis verum Sacramentum esse. Ita docent Palao *disp. 2 de Sponsal. pu. 2. n. 8.* Sanch. *L. 2. disp. 11. n. 27.* Præpos. *q. 2 de Matr. dub. 9. & 10.* Hurtad. *disp 3. difficult. 17. n. 66.* Dicastillo *disp. 2. de Matr. dub. 17.* Perez *disp 19. Sect. 13. n. 2.* Coninck *disp. 24. n. 23.* Tamb. *tract. 5. de Matr. c. 3.* Bonac. *q. 2. de Matr. pu. 5. n. 3.* Pontius *l. 1 c 10.* Sporer *Theol. Sacramental p. 4. c. 1. Sect 4. n 349.* Navarr. Covarr. Pirhing Henriq. Valentia, Mendo, Gobat &c. Ratio est, quia Christus Dominus naturam contractûs in Matrimonio non immutavit, sed verum, & legitimum contractum ad esse Sacramenti elevavit : atqui per procuratorem habetur verus contractus Matrimonij : ergo verum Sacramentum constituit. Deinde Concilium Florentinum, & Tridentinum absolutè, & absque limitatione definiunt, Matrimonium baptizatorum esse Sacramentum : sed Matrimonium per procuratorem, vel per nuntium, aut epistolam celebratum est verum, & legitimum : ergo est Sacramentum. Rursum quando lis agitur de valore istius contractûs, hanc causam non Judex sæcularis, sed Ecclesiasticus cognoscit : at si hujusmodi Matrimonium non esset Sacramentum, sed solùm civilis quidam contractus, nulla esset ratio, ob quam ad judicem sæcularem ejus cognitio non pertineret : ergo signum est, Ecclesiam unanimi consensu sentire, tale Matrimonium esse verum Sacramentum. Denique probat experientia, quamplurimi enim absentes, præsertim magni Principes, contrahunt Matrimonium per procuratorem, quin illud iteretur, quando præsentes sunt, nam solùm adduntur benedictiones nuptiales, quæ ad essentiam Matrimonij non pertinent, sed ad solemnitatem : si autem vera esset opinio contraria, hi omnes conjugerentur sibi per Matrimonium, quin susciperent Sacramentum, quod fieri Ecclesia profectò non permitteret : conjunguntur igitur per Matrimonium, quod verè Sacramentum est. Interim tamen consultum est juxta Sanch. & Perez, ut contrahentes per Procuratorem postmodum ipsimet in præsentia Matrimonium iterum ineant, sive contractum istum ratificent, ad tollendos scrupulos, cùm alij quoque contractus sæpiùs iterari, & renovari possint.

5. Rationes in contrarium Palao appellat leviissimas, & Dicastillo nullius momenti. Ad primam conceditur

ceditur Antecedens, & negatur consequentia, & paritas inter verba absolutionis, & inter verba contractûs Matrimonialis, nam verba Absolutionis ex institutione Christi determinatè necessaria sunt, & ad eorum veritatem requiritur præsentia, ut patet ex definitione Clementis VIII. in Constitutione edita die 20. Julij 1602. ubi damnavit hanc propositionem: *licet per literas, seu per internuntium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere*, quam Sententiam publicè, vel privatim docere, aut defendere ut probabilem prohibuit sub excommunicatione latæ Sententiæ Pontifici reservata. At verò in Sacramento Matrimonij, quod fundatur in contractu valido, verba illa: *ego te accipio in conjugem*, non sunt determinatè requisita, sed sufficiunt quæcunque alia, non solùm verba, sed & signa, quibus confici potest validus, & legitimus contractus; quia igitur validus, & legitimus contractus haberi potest per nuntium, vel procuratorem, per hunc quoque haberi potest Matrimonij Sacramentum.

Ad alteram pariter respondetur, habere quidem cætera Sacramenta ex institutione Christi, quòd sint actiones personales; non verò actionem, qua fit Matrimonium, quia hoc Sacramentum instituit in solo contractu, cujus actiones non ita sunt personales, ut non possint fieri per procuratorem, aut per literas.

Ad tertiam respondeo, non esse inconveniens, quòd dormiens, si nullus obex adest, recipiat gratiam, quia id ipsum contingit, dum quis in infirmitate dormiens, aut in phreneſi positus extremùm inungitur.

6. Postquam stabilivimus, Matrimonium verè, ac propriè esse Sacramentum, simul verò aliunde nobis constat ex Decreto fidei Eugenij IV. omnia Sacramenta tribus perfici, nempe materiâ, formâ, & personâ Ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, hæc tria modò investiganda sunt in Matrimonij Sacramento; & quidem quod ad materiam, formamque attinet, in primæ Partis prooemiali dissertatione dictum est, materiam remotam esse ipsa corpora contrahentium, proximam verò mutuam corporum traditionem, verbis, vel alijs signis expressam, formam denique mutuam acceptationem, iterum verbis, vel alijs signis expressam. Filliuc. *tr.* 10. *c.* 1. *n.* 10. *& seqq.* Bonac. *Q.* 2. *pu.* 4. *n.* 4. Sanch. Pirh. Henriq. &c. Ratio est, quia id dicitur materia in aliquo contractu, quod habet rationem indeterminati, & imperfecti, illud verò est tanquam forma, quod habet rationem determinantis, & perficientis, formæ etenim proprium est determinare ma-

materiam, eamque perficere: atqui traditio corporum, verbis vel alijs signis expressa, est etiamnum aliquid imperfectum, & indeterminatum, donec adveniat acceptatio, quæ est forma, nam potest traditio ista fieri ob multos fines, v. g. ob servitutem, ob aliquam societatem &c. per acceptationem autem determinatur ad usum Matrimonij: ergo traditio habet rationem matetiæ, ipsa autem acceptatio rationem formæ, cujus est materiam indifferentem determinare, atque ita traditio vocari potest res, acceptatio autem verba vel absolutè, vel æquivalenter, ita ut etiam Matrimonium, sicut reliqua Sacramenta, constet rebus, & verbis.

7. De Ministro, quamvis aliter olim aliqui senserint, certa nunc, & communis omnium Sententia est, ipsos contrahentes, seu conjuges esse Ministros hujus Sacramenti, non verò Parochum. Ratio est, quia ille propriè est Minister Sacramenti, qui materiam & formam Sacramenti apponit: at soli contrahentes apponunt materiam, & formam Sacramenti Matrimonij, quia exprimunt mutuum consensum de suorum corporum traditione, & acceptatione, in quibus dictum est, materiam, & formam Matrimonij consistere: ergo &c.

8. Hinc audiendus non est Canus, qui loco supra citato contendit, Ministrum Matrimonij, quatenus hoc est Sacramentum, esse Sacerdotem, sive Parochum, formam verò esse verba ab eodem prolata: *ego vos conjungo &c.* quæ dicere jubetur Parochus à Concilio Trident. *Sess. 24. c. 1. de reform. Matr.* quæ falsa forent, nisi ipse tanquam Minister eos conjungeret, consequenter proinde affirmat hic Author, ante Tridentinum clandestinè, & sine præsentia Parochi celebratum Matrimonium fuisse quidem legitimum, non tamen fuisse Sacramentum, quia Sacramenti necessarius Minister deerat, qui debet esse Sacer, cùm actio Sacramentalis sacra sit: ergo Ministrum sacrum, & formam sacram petit, ne contractus purè civilis, & profanus sit.

Sed certè, Matrimonia clandestina, seu absque Parocho celebrata, non solùm contractum aliquem civilem, sed verè Sacramentum fuisse, ex ipso Tridentino ostendi potest *citato c.* 1. id enim Matrimonia, quæ ante Tridentinum fuerunt sine Parocho celebrata, definit, vera Matrimonia, & rata esse, damnatque anathemate, si quis ausus fuisset hoc negare: ergo definit etiam, ea verum fuisse Sacramentum, quia quoties Tridentinum loquitur de Matrimonio, non aliud intelligit Matrimonium, quàm quod est Sacramentum: dum igitur ait, hoc verum, & ratum esse Matrimonium, vult dicere, esse Sacramentum. Quod ex eo confirmatur, quia etiam ante Concilium Tridentinum

de

de Matrimonijs clandestinis cognoscebat Ecclesia: ergo erant Sacramentum, si enim fuissent civiles solummodo, & profani contractus, Judex sæcularis de ijsdem cognoscere potuisset.

Ad illud, quod ait, actionem Sacramentalem debere esse sacram, Respondeo, hoc non probare, ministrum quoque debere esse sacrum; nam sacra vocatur actio Sacramentalis, quia per eam conficitur Sacramentum, & causatur gratia sanctificans, non verò quia procedit à Ministro consecrato, aliàs baptismus collatus à laico non esset Sacramentum, cùm laicus ad baptizandum consecratus non sit. Denique verba à Parocho prolata nec præscribuntur determinatè à Tridentino, neque sunt forma Sacramenti, nec eum probant esse Ministrum, quia subsisteret Sacramentum, tametsi Parochus assistens verba nulla proferret, vel etiam positivè contradiceret. Barbosa *p. 2. de Offic. & potest Parochi c. 21. n. 46. & seqq.* Tamb. *tr. 6. de Matr. c. 2. §. 3.* Gobat. *tr. 9. cas. 18. n. 506. & tr. 10. n. 396.* nec aliud significant ea verba, quàm *ego declaro vos conjunctos*, vel *approbo conjunctionem vestram*, ut manifestum est ex alijs ritualibus, nam Frinsingense nostrum dicenda à Parocho ita proponit: Matrimonium in facie Ecclesiæ inter vos contractum Deus confirmet, & authoritate Ecclesiæ Dei ego illud approbo, perficio, atque sollennizo in nomine Patris &c.

9. His ita declaratis, facilis nunc est solutio nostri casûs; ac primò quidem certum est, dictos conjuges in statu peccati mortalis Matrimonium contrahentes peccasse mortaliter. Ratio est, quia Matrimonium est verè ac propriè Sacramentum novæ Legis, conferens gratiam, ex ijs, quæ dicimus Sacramenta vivorum: atqui suscipere aliquod Sacramentum vivorum in lethali peccato est grave peccatum Sacrilegij ob grandem irreverentiam Sacramento illatam, sic enim ponitur obex gratiæ, & Sacramenta vivorum requirunt, ac supponunt, suscipientem jam esse in statu gratiæ, ut illam augeant: ergo Matrimonium contrahentes in peccato lethali, peccant lethaliter: est hæc conclusio communis. Hinc est, quòd tam solicitè conjuges hortetur Concilium Tridentinum *Sess. 24. de reform. Matr. c. 1.* ut, antequam contrahant, peccata sua diligenter confiteantur, & ad Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum piè accedant, quo tamen loco Confessio Sacramentalis non ex præcepto præscribitur, sed quia Concilium utitur verbo *hortatur*, duntaxat est consilium, ut contrahentes sic tutiùs necessariam dispositionem ad gratiam consequantur, prout rectè advertunt Rebellus *p. 2, L. 2. q. 7. n. 1.* Barbosa *de Offic. & potest. Episc. alleg. 32. n. 172.*

n. 172. & Perez disp. 19. Sect. 8. n. 1. tenentur nihilominus sub mortali se per contritionem ad hoc Sacramentum dignè, & fructuosè recipiendum præparare.

Quòd si contractus fiat per procuratorem, non peccat procurator, si, quando contrahit, peccato lethali affectus sit, quia non ipse recipit Sacramentum, dum alieno nomine agit, sed ille, à quo missus est, unde mittens procuratorem tenetur eo tempore esse in statu gratiæ, quo verisimile est, fore, ut procurator ipsius nomine contrahat, ne Sacramentum vivorum in peccato mortali suscipiat. Sanch. L. 2. disp. 11 n. 29. & seqq. Tamb. l. c. c. 3. n. 3. Coninck, Dicastillo &c.

10. Cæterùm an, sicuti peccant mortaliter conjuges, dum in peccato mortali contrahunt Matrimonium, atque ita indignè Sacramentum suscipiunt ponendo obicem gratiæ, ita similiter novum, ac diversum, adeoque duplex peccatum committant, dum idem Sacramentum in statu peccati mortalis administrant, magna controversia est. Peccare mortaliter etiam ex eo, quòd indignè ministrent, adeoque duplicis peccati reos fieri, in quantum suscipientes sunt huius Sacramenti, & in quantum Ministri, docent Card. de Lugo disp. 8. de Sacramentis in commun n. 150. Navarr. in c. 1. §. Sacerdos. De Pœnit. dist. 6. n. 10. Palao tr. 18. disp. unic. de Sacram. in communi pu. 5. n. 11. Vasq. in 3. p. disp. 136. c. 3. n. 38. Basilius Pontius L. 1. c. 8. n. 11. Dicastillo de Sacram. in communi disp. 3. n. 221. Arriaga de Sacram. in genere disp. 10. n. 4. Hurtad. disp. 3. de Matr. difficult. 22. n. 84. Perez disp. 19. Sect. 8. n. 3. & novissimè Gormaz disp. 3. de Sacram. Sect. 3 n. 144. alijque, tum quia Christo gravis injuria fit, si hujus inimicus merita illius sibi sumit dispensanda, tum quia Sancta, qualia in primis sunt Sacramenta, sanctè sunt tractanda: ergo irreverentiam gravem contra illa committit, qui eadem peccato mortali fœdatus administrat, adeoque duplex peccatum admittit non minùs, ac Sacerdos dupliciter peccat, quando in statu peccati sacrificat, & quia indignè suscipit, & quia indignè conficit Sacramentum.

11. Contrariam Sententiam ut probabilem defendunt, nec nisi unicum peccatum mortale committere conjuges in peccato lethali contrahentes, quatenus scilicet Sacramentum Matrimonij in statu peccati suscipiunt, non verò quatenus illud in eodem administrant, docent Authores non pauciores, nec minùs classici Sanch L. 2. de Matr. disp. 6. n. 4. Laym. L. 5. tr. 1. c. 5. n 9. Suarez in 3. p. q. 65. disp. 16. Sect. 4. Coninck q. 64. de Sacram. art. 6. dub. 1 n. 38. Bonac. disp. 1. de Sacramentis q. 3. pu. 2. §. 1. n. 9. Præpos. de Sacram. in genere q. 64. n. 36.

Tannerus

Tannerus *to. 4. disp. 8. de Matr. q. 3. dub. 1. n 9.* Barbosa *de Offic. & potest. Episc. alleg. 32. n. 172.* Filliuc *tr. 1. c. 6. n. 87.* Sporer *Theol. Sacrament. p. 4. c. 1. n. 355.* Burghaber *Cent. 2. Select. Casuum cas. 95.* Illsung *disp. 1. de Sacram. in genere n. 42.* Diana *p. 3. tr. 4. resol. 199.* Tamb. Rebellus, Henriq. &c. Non tamen negaverim, Sententiam priorem valde probabilem esse, quam etiam Suar. Sanch. & Tambur. talem esse fatentur.

Ratio verò istius conclusionis est, quia conjuges non agunt tanquam Ministri specialiter ad hunc actum consecrati: ergo æquè parùm peccant, quàm Sacerdos, qui in casu necessitatis, quo id etiam à laico fieri potest, sine solemnitate baptizat, quem passim docent, nullum in hoc peccatum committere, cùm hîc non operetur ex officio, & tanquam specialiter ad hoc consecratus.

12. Verùm istam responsionem contrariæ Sententiæ Patroni non admittunt, nam dicunt, non ideo peccare graviter, quòd consecratione abutantur, aliàs peccaret graviter etiam Episcopus in consecratione chrismatis, vel aræ, in benedictione corporalium &c. Diaconus, dum ministrat ad aram, vel canit Evangelium, quia ad hæc sunt consecrati ministri, & abutuntur consecratione, quos tamen passim asserunt Authores, non peccare mortaliter, sed ideo peccant graviter conjuges, quia in statu peccati mortalis Sacramentum ministrant, adeoque actionem sacratissimam, & collativam gratiæ, quæ multò majorem reverentiam exigit, quàm supra recensitæ, indignè exercent, & neque Deo authori Sanctitatis, cujus tunc ut ministri vicet agunt, nec Sacramento, quod est causa gratiæ, conformes sunt, in cujus collatione sunt Dei quodam modo instrumentum; inter instrumentum verò, & causam principalem debet esse conformitas. Præterea licèt ad ministrandum hoc Sacramentum specialiter consecrati non sint, sunt tamen ad hoc ex Christi peculiari institutione deputati, qui eo ipso, quòd voluit ministros contractûs simul esse ministros ordinarios Sacramenti, censetur illos ad hoc ministrandum specialiter deputâsse.

Contra est. Licèt obligatio sanctè tractandi, & ministrandi Sacramenta oriatur ex ipsa dignitate ministerij, & sanctitate Sacramenti, non tamen idem reverentiæ modus erga Sacramentum ab omnibus exigitur, qui illud administrant, sed ab unoquoque juxta capacitatem, & statum suum, nec est ad hoc æqualis obligatio respectu cujuscunque, sed tantùm respectu illius, qui ad hoc munus consecratus est, vel saltem specialiter, ac principaliter deputatus: conjuges autem non solùm non sunt consecrati, sed nec primariò, ac principaliter deputati Ministri

hujus Sacramenti, sed quasi ex consequenti, ac ex necessitate quadam, & per accidens; quia nempe ex voluntate Christi oportet materiam, & formam Sacramenti in ipsomet contractu constituì; contractus autem fieri nequit, nisi per consensus expressos ipsorum contrahentium, consequenter, qui contrahunt, simul sunt Ministri: dum igitur in statu peccati volunt contrahere, primariò, ac principaliter intendunt suscipere Sacramentum, administrationem autem solùm consequenter, & per accidens, proinde peccant quidem ponendo obicem gratiæ, dum Sacramentum indignè recipiunt, non tamen propriè, in quantum illud ministrant, & sic probabiliter non nisi unum peccatum committunt.

Quæ dicta sunt, dubium non admittunt in procuratore, nam hic, dum loco alterius contrahit, Sacramentum neque suscipit, neque conficit: ergo non peccat, dum istud agit in statu peccati. Sed neque peccat lethaliter Parochus, dum Matrimonio assistit in peccato lethali, quia non est Minister, nec conficit ipse Sacramentum; quòd verò in statu peccati mortalis solemnem nuptiarum benedictionem celebret, mortale non est, quia ea benedictio non est Sacramentum, sed Sacramentale, nisi tamen prædictæ benedictiones fierent in sacrificio Missæ, tunc enim peccaret mortaliter in statu peccati sacrificando.

13. Pro coronide adhuc respondendum est ad aliquod dubium, quod circa conjuges oriri potest; nam si illi, dum contrahunt, simul recipiunt, & tanquam Ministri conficiunt Sacramentum, debebunt ij talem habere intentionem, quæ ad utrumque se extendat, qua nempe velint & recipere, & conficere Sacramentum; at sanè pauciſſimi sunt, qui istas intentiones habeant, cùm plurimi nec quidem sciant, se esse Ministros Sacramenti, vel certè de eo non cogitent.

R. Sufficere ad utrumque, quòd generatim intendant contrahere Matrimonium eo modo, quo in Ecclesia Dei contrahitur, & facere id, quod alij fideles faciunt, hoc ipso enim censentur implicitè intendere hoc Sacramentum non solùm suscipere, sed etiam conficere. Sporer, Platelius p. 5. c. 7. §. 4. n. 1101.

§. II.